

sed illo posito, non haberet ordinem quem nunc habet.

22. Dico ad aliud, quod si principium unius actionis in supposito præcedit principium alterius actionis in alio supposito, vel in eodem; si respectu utriusque actionis sit æqualis necessitas ad suum actum, actio erit prior actione. Sed forma, quæ est principium actus causandi, licet sit prior principio notionali, quod est principium producendi aliud, tamen non est æqualis necessitas illius principii ad causationem rerum extra, sicut principii notionalis ad productionem intrinsecam, quia respectu unius agit ex necessitate naturæ, respectu alterius contingenter.

Vel potest dici aliter, quod principium essenziale habet aliam actionem vel operationem priorem, quam principium notionale, quia prius est *intelligere* et *velle* essenziale, quam *dicere* vel *spirare*, et ista sunt priora quam intelligere, vel velle creaturam.

23. Ad aliud, cum dicitur *primum efficiens agit propter primum finem*, aliqui dicunt quod Philosophus intellexit quod Deus non est primum efficiens motum, sed tantum movens, sicut finis, ut amatum et desideratum, et tunc suprema Intelligentia movet effective cælum, et movet propter finem; tamen *comment.* 12. ponit quod movet utroque modo effective et finaliter, sicut declaratum est in *primo libro*.

* Dist. 2. q. 1. Deus non movet propter finem suum, sed sui effectus.

Præterea, hîc Theologi non possunt hoc ponere, quin primum movens simpliciter sit ultimus finis simpliciter, ut est declaratum ibidem. Dico igitur, quod si finis accipitur pro causa finali, tunc Deus

non agit propter finem suum, quia sicut est efficiens sui effectus, sic est finis sui effectus, et sic movet propter finem sui effectus, sed non propter finem suum. Si tamen accipitur finis pro perfectione objectiva, sic ipse est finis sui ipsius, sed non est hoc proprie esse finem sui, accipiendo pro causa finali, sed est metaphorice finis.

QUÆSTIO II.

Utrum causabile, antequam causetur in actu, habeat verum esse reale a causa sua?

Alens. 1. p. q. 27. m. 4. 1. D. Bonav. hîc a. 1. q. 1. Richard. quæst. 4. Henr. in sum. a. 2. q. 23. quodl. 8. q. 9. et quodl. 9. q. 1. Vasq. 1. p. d. 70. et 71. Suar. 1. p. tr. l. 3 cap. 5. Thomistæ 1. p. q. 15. art. 1. 2. Scot. in Oxon. 1. d. 36. q. unic.

Quod sic. Res, quæ postea est in actu, primo est possibilis, quia quod impossibile est causari, non causatur. Et ens in actu, et in potentia, dividunt ens, et divisum prædicatur de dividendibus; igitur ens in potentia vel possibile, est verum ens antequam causetur; igitur habet verum esse.

Item: Homo est ens ratum et firmum; vel igitur est ens per participationem, vel per essentiam. Non secundo modo quia tunc esset Deus; igitur per participationem habet entitatem. Sed istam entitatem non habet solum in comparatione ad efficiens, cum actu existit, quia tunc non esset verum ens, nisi cum existeret, et per consequens non haberet esse quidditativum, nisi quando existit, et per consequens nec definitionem. Sed si definitio non esset ejus, nisi ut in effectum, igitur

1. Argument. primum.

Secundum.

quæstio *An est*, terminaretur per definitionem, quod est inconveniens.

Tertium. Item, causabile non est in effectum, nisi sit intellectum ab efficiente; sed in effectum est aliud ab efficiente; igitur est per intellectum ut aliud ab efficiente, quia qui intelligit rem aliter quam est, non intelligit eam vere, secundum Augustinum 83. quæst. 32. igitur præintelligitur, ut aliud ab intelligente.

Et confirmatur, intellectio vera non potest esse simpliciter non entis; igitur in illo priori est verum ens, antequam causetur.

2. In oppos. Oppositum: Si sic, sequeretur quod nullum ens posset Deus simpliciter causare ex nihilo, nec post nihil, quia prius habuit esse verum, antequam habuit esse in effectum.

Item, si prius haberet esse simpliciter ante creationem, igitur idem esse haberet post destructionem, et tunc post annihilationem haberet unum esse, quia idem esse remanet post annihilationem, quod fuit ante creationem.

Terminus ad quem annihilationis, est a quo creationis.

SCHOLIUM I.

Sententia Henrici, creaturas fuisse ab æterno, secundum esse essentiae, et per esse existentiae tantum poni respectum ad efficiens, probatur hîc, et in Oxon. 1. dist. 36. quæst. unic.

3. Aliorum dicta. Ens duplex.

Dicitur ad quæstionem, quod *res* dicitur dupliciter, vel a *reor*, *reris*, vel a *ratitudine*. Primo modo quodlibet potest dici ens, sive sit opinabile, sive existens, et fictitia, et similia. Secundo modo dicitur ens ratum, firmum, quod habet veram entitatem, et illud non dicitur de impossibilibus, nec de puris fictitiis, sicut ens primo modo. Est ergo ens

primo modo indifferens ad ens verum et fictum, et illud non per aliam intentionem realem dicitur ens ratum, quam ens primo modo, quia indifferens non determinatur ad unum illorum, nisi per aliquid superadditum. Ulterius notandum quod illud ens ratum est exemplatum in mente divina, et adhuc est indifferens ad *esse* existentiae, et non existentiae; et ideo ultra exemplatum non dicit *esse* existentiae, nisi respectum ad causam efficientem, a qua habet *esse* existentiae. Sed *esse* exemplatum tantum dicit respectum ad exemplar, non ad causam efficientem. Primus respectus æternus est, sed respectus existentis in effectum ad causam efficientem temporalis est, et respectus prius est in potentia distante ab actu, quam sit actu sub hoc respectu ad causam efficientem, nec ex his fit compositio, scilicet ex actu et potentia.

Ultimo dicitur quod nullum *esse* dicit aliquid additum essentiae, quia si sic, quærendum esset de isto addito, cum ipsum sit ens, an suum *esse* dicit additum supra essentiam, et sic esset processus in infinitum.

Per hoc patet ad quæstionem, quod res antequam causetur, habet verum *esse* ratum quidditativum, non tamen prius habet *esse* existentiae. Pro illa opinione arguitur, quia eadem res est prius intellecta, et postea posita in *esse* existentiae, quia secundum Augustinum 5. super Gen. ad litteram, et 3. de Trinit. cap. 7. *Non aliter novit Deus fienda quam facta*; igitur eadem res habuit *esse* verum quidditativum, antequam habuit *esse* existentiae, quia

Esse non dicit quid additum essentiae.

Res antequam causetur habet esse quidditativum.

Ratio prima.

Secunda. habuit verum *esse* cognitum a Deo. Item, proportio est relatio; igitur præsupponit id, quo fundatur; cum igitur proportio sit intellecti ad intellectum, præsupponit ens verum intellectum.

Tertia. Item, sicut ens ad non ens, sic possibile ad impossibile; igitur permutatim sicut ens ad possibile, sic non ens ad impossibile; sed omne ens est possibile, igitur quod est omnino non ens, est impossibile.

Quarta. Item, si res primo non habuit verum *esse*, sed simpliciter *non esse*, et chimæra habuit simpliciter *non esse*, et tamen chimæra repugnat *esse*, et rei creatæ non repugnat, et utrumque est nihil prius, per te; igitur unum non est magis nihil alio, quia illud est magis nihil alio, quia illud est magis nihil, cui repugnat *esse* magis, quam cui non repugnat.

Quinta. Item arguitur, D. Augustinus de Natura boni, cap. 8. *Si forma est aliquod bonum, capacitas formæ non nullum bonum*; igitur si *esse* est bonum, capax *esse* existere erit non nullum bonum.

Sexta. Item, Avicenna 8. Metaph. cap. ultimo: *Fluxus rerum a Deo duplex est*, quia aliter est fluxus secundum *esse* quidditativum, quam secundum *esse* existentiae, et unus fluxus est prior alio.

5. Si arguitur contra ista, quod nihil esset novum in creatione, nisi respectus, et per consequens non esset aliud absolutum novum; et cum in omni alteratione sit nova qualitas absolute inducta, et in creatione substantiæ nihil absolutum novum, sed tantum respectus ad causam efficientem, sequitur quod alteratio ma-

gis posset dici creatio, quam nova productio substantiæ.

Dicunt ad illud, quod non solum est respectus novus, sed quod tota res sub uno respectu præcessit, et tota res sub alio respectu est nova. Responsio.

Contra, quamquam totum sub respectu sit novum, tamen ibi nihil parziale est novum, nisi respectus, quia tale illud totum est antiquum. Unde quamquam Socrates albus sit de novo generatus, hoc est quia non nisi albedo nova generatur; sic non erit totum novum, nisi quia respectus novus. Replica.

SCHOLIUM II.

Refutatur late dicta sententia, et rejiciuntur varia effugia pro ea excogitata, de qua egit Doctor in Oxon. d. 36. ideo videtur ea resumpsisse hinc, ut refutaret responsiones datas ad impugnationes, quas ibi fecit.

Arguo igitur contra istam opinionem: Primo ex his, quæ ponit iste Doctor, quia ipse ponit quod respectus non est res alia a fundamento; igitur non stant simul, quod respectus est novus, et fundamentum æternum, quia non potest eadem res esse res nova, et non nova. 6. Impugnatur superior opinio.

Item, ille Doctor dicit quod in Deo non potest esse nova relatio ad creaturam, quia eadem est relatio, vel respectus nunc actualis, et prius aptitudinalis; igitur pari ratione in proposito, idem erit respectus actualis et aptitudinalis creaturæ ad Deum; cum igitur idem sit fundamentum nunc respectus actualis, et prius respectus aptitudinalis, et fundamentum est æternum, igitur et quilibet respectus ad Deum est æternus.

Item, ex extremis existentibus

eisdem, et eodem modo se habentibus intrinsece, erit respectus idem, si consequitur naturam extremorum. In proposito extrema sunt eadem, et eodem se habent, ita quod non mutantur nisi ad respectum, ex quo creatura habet verum *esse* æternum, et impossibile est quod mutatio præcise terminetur ad respectum intrinsecum consequentem naturam extremorum.

Item, illa productio, quæ est de nihilo ad ens unum, est vera creatio. Sed productio essentialis lapidis quantum ad *esse* quidditativum, vel ratum, est productio de nihilo ad ens verum, et est æterna per te; igitur creatio est æterna, quod negat iste Doctor.

Dicitur, quod *esse* quidditativum non sit in isto, ut in lapide per efficientem, sed per exemplationem; unde ille respectus *esse* essentialis, ut lapis ad Deum, non est ad causam efficientem, sed ad exemplantem.

Contra, nihil ab essentiali divina potest poni necesse ex se, in quocumque *esse*, et illud concedit ille Doctor et omnes alii. Quia si sic, nulla causa esset, qua esset necessarium, cum omne necessarium aliud a Deo, sit ab aliqua causa, impossibile est ponere aliud a Deo necessarium a se. Et sic impossibile est aliquid habere causam entitatis suæ, nisi habeat causam efficientem, quia non potest habere causam formalem, nec materialem, nec finalem, nisi habeat causam efficientem, quia finis movet efficientem sicut anatum, etc. et efficiens inducit formam in materiam; igitur lapis in *esse* quidditativo habet causam efficientem.

8. Nec valet dicere quod causa ejus

est causa exemplaris, et illa est actus naturæ, quia Aristoteles comprehendit sub causa efficiente tam agens a proposito, quam necessarium. Unde vel oportet fingere causam, vel oportet dicere quod omne habens aliam causam, habet causam efficientem, et tunc illud *esse* quidditativum habet causam efficientem.

Item, lapis in illo *esse* quidditativo est ens ratum et firmum, quæro quo formaliter habet *esse*? Aut respectu exemplaris passive, aut aliquo præsupposito respectu? Si primo modo, hoc est contra Augustinum 7. de Trin. 2. *Unumquodque prius est ad se*, etc. quia si nihil esset ad se, excepta relatione, nihil esset ad aliud. Similiter est contra Aristotelem 4. *Metaph.* ubi infert quod *si omnia apparentia essent vera, omnia essent ad aliquid*, quod tamen videtur satis inconveniens, quod quodlibet intrinsece sit ad aliud; igitur non solum respectu exemplationis tanquam *quo*, formaliter habet lapis hoc *esse* quidditativum. Si aliquo præsupposito respectu, hoc non esset nisi essentia divina; igitur prius est illud *esse* quidditativum ab essentiali divina tanquam ab efficiente, quam sit exemplata ab illa tanquam ab exemplante.

Item, istæ res secundum *esse* essentialis, vel quidditativum, aut ponuntur ut terminent intellectiōnem divinam, aut non; si non, tunc frustra ponuntur, quia non videtur alia necessitas, quia non videtur quod sint ponendæ necessario, nisi sicut objectum secundarium, sed ponitur essentia ut primum terminans. Si primo modo, cum quodlibet

Esse exemplatum, habet efficientem.

Nihil a Deo necessarium.

Carens causa efficiendi, nullam causam habet.

intrinsicum Deo sit ex se necesse, et nihil extra Deum est ex se necesse esse, sequitur quod propter nihil intrinsicum Deo debet poni necessario aliquid extrinsecum, quia nihil quod est ex se necesse esse, coexistit simul minus necessarium, quia posito, per impossibile, quod quodlibet minus necessarium destrueretur, non propter hoc necesse esse ex se destruitur. Si tamen aliquid intrinsicum Deo coexigeret lapidem in hoc *esse*, destructo hoc *esse*, destruetur aliquid intrinsicum Deo; igitur non est necesse ponere tales res, ut terminum intellectionis Dei.

Nihil ex se necesse esse coexistit simul minus necessarium.

Varia dicta ta Henrici refutantur.

Item, cum dicitur quod *esse* in effectu, nullam rem addit, et tamen quod ex his fit compositio tanquam ex potentia distante ab actu et ex actu, videntur plane repugnare, quia omnis realis compositio requirit rem additam rei.

10. Item, quod dicitur quod potentia objectiva primo est in *intelligi*, et postea ponitur in *esse*, quia actus et potentia dividunt omne ens, illud nullam compositionem habet, quia eadem albedo, quæ prius intelligitur in potentia, postea est in actu, 8. *Metaph.* et tamen non est magis composita albedo postea posita in actu, quam illa quæ intelligebatur in potentia ante actum.

Item, isti tenent quod relatio non facit compositionem cum suo fundamento, quia non dicit rem aliam, et tamen in proposito dicit quod nullum *esse* dicit additam respectu essentiae, et tamen quod facit compositionem.

Item, quod dicitur, quod prius est *esse* in potentia, et postea *esse* in effectu, quæro, aut intelligitur ista

potentia esse præsupposita, vel receptiva ipsius actus. Si primo modo, igitur adveniente actu non manet ista potentia, quia si sic, opposita sunt simul. Si secundo modo, igitur illa recipit actum, et per consequens hæc est vera mutatio a privatione ad formam, cum aliquid addatur ex hoc, quod præfuit in potentia receptiva *esse* in effectu, et per creationem illa potentia recipit actum; igitur vere mutatur.

SCHOLIUM III.

Sententia vera: Nullum *esse* quidditativum, vel essentiae, esse ab æterno, nisi tantum in *esse* cognito, et sic etiam *esse* existentiae ab æterno est. Probatur multis hîc, et i. d. 36. q. unic. a n. 6. habet optimam doctrinam Logicalem utrobique de distractione et diminutione. Vide eum ibi n. 10. de *esse* diminuto, quod tantum ab æterno est, de quo etiam i. d. 3. q. n. 20. et d. 39 et hîc q. i. et d. 3. q. i.

Dico igitur ad quæstionem, sicut 11. alibi, quod nunquam pluralitas ponenda est sine necessitate. Sed nulla necessitas est ponere tale *esse* quidditativum præcedens *esse* in effectu, quia ita determinate et distincte novit Deus existentias rerum, sicut essentias rerum, et ita ab æterno existentiam hujus pro tali terminatione, sicut essentiam sub *esse* quidditativo. Si igitur non sit necesse ponere existentias ab æterno, igitur nec propter hoc erit necesse ponere essentias ab æterno, quia quacumque ratione, essentia ut essentia, est cognita a Deo ab æterno, ita distincte sub propria ratione est cognita existentia sub ratione existentiae ab æterno; igitur oportet ponere existentias ab æterno, quæ fundent relationes existentiarum ab æterno.

In Oxon. dist. 36. opinio vera Scoti.

Essentia rerum non magis ab æterno, quam existentia.

12.

Præterea, hoc manifestum est de intellectu creato, quod non oportet ponere existentiam ejus, quod intelligitur, quia alias non posset cognoscere rem nisi existentem. Non enim novit rosam solum ut in intellectu divino, sed rosam, quam novit in existentia in effectu, ita quod si, per impossibile, intellectus divinus non esset, nec per consequens rosa in mente divina, adhuc si intellectus creatus maneret, cognosceret rosam non existentem.

Dices, non est simile de intellectu creato, quia unus non producit objectum, sed alius facit. Contra, si albedo est qualitas, et tantum habet *esse* qualitatis, producere albedinem non est nisi producere eam in *esse* qualitatis, sicut si *esse* quidditativum intelligibile non est *esse* in re, sed tantum est intelligibile, igitur intelligere rem est ipsam producere in *esse* intelligibili.

Dices, quomodo potest lapis ab æterno intelligi, nisi habeat *esse* æternum? Videtur quod nullo modo, quia secundum illud *esse*, secundum quod est fundamentum relationis, si relatio est æterna, et fundamentum ejus; sed intelligitur lapis ab æterno a Deo; igitur lapis fundat relationem intellectui a Deo ad intelligentem æternaliter; igitur illud *esse*, secundum quod fundat relationem intellectui a Deo, est æternum.

Distractum respectu distrahentis non est distractum, sed ad tertium.

Dico, quod distractum respectu distrahentis non est distractum; nec diminutum respectu diminuentis est diminutum; nec contractum respectu contrahentis est contractum, sed indifferens. Tamen diminutum, vel distractum, vel contractum est tale res-

pectu tertii, quia, ut vult Philosophus 2. *Perihermenias*, cap. 2. prædicando de aliquo hoc, quod est *homo mortuus*, est oppositum in adjecto, ad quod sequitur *contradictio*; si tamen non acciperetur simpliciter respectu mortui, sed distraheretur dicendo, *homo secundum quid est mortuus*, non esset repugnantia inter illa, quia inter hominem secundum *quid* et *mortuum* nulla est repugnantia, sed distrahitur respectu tertii, ut cum dicitur, Socrates est homo mortuus. Sic si dicatur, *homo albus secundum dentes*, non accipitur *album* diminute respectu hujus partis *dentes*; nec intelligitur album secundum partem, quia tunc esset nugatio, album secundum partem. Sed cum dicitur respectu tertii, ut *Æthiops est albus secundum dentes*, ibi accipitur *album* diminute. Similiter si dicatur, *ille est homo albus*, vel accipitur *homo* pro albo, et tunc esset nugatio; vel accipitur pro nigro, et sic repugnantia; ergo pro albo respectu tertii, ut tamen differens respectu albi contrahentis; sic *esse* in intellectione, *esse* in cognitione, *esse* in opinione.

Omnia ista dicunt esse diminute respectu tertii; *esse* tamen respectu opinionis non accipitur ut diminutum, nec respectu intellectionis, nec cognitionis, sed simpliciter. Sic *esse* lapidis ut comparatur ad intellectum, accipitur pro vero *esse*, tamen lapis intellectus comparatus ad *esse*, verum habet *esse* diminutum, ita quod *esse* lapidis in cognitione est *esse* diminutum lapidis, et secundum *quid*.

Præterea, hoc dico ad rem, quod res intellecta non accipitur secun-

13. Esse in intellectione, est esse secundum quid.

dum *esse* diminutum respectu intellectionis, sed secundum *esse* simpliciter. Nunc autem si relatio illa, quæ est intellecti ad intelligentem, non esset diminuens respectu *esse*, sicut nec accipitur album diminute respectu similitudinis, nec etiam sub similitudine respectu tertii, tunc si lapis intellectus esset æternus, igitur et lapis sub *esse* simpliciter. Nunc autem in proposito licet non sit *esse* diminutum respectu illius relationis, tamen *esse* sub hac relatione in comparatione ad tertium est diminutum. Ideo concedo quod lapis secundum verissimum *esse* est intellectus æternaliter, ita quod respectu intellectionis accipitur secundum *esse* simpliciter, sed totum ut lapis intellectus est *esse* diminutum.

14. Ad primum principale cum dicitur, *causatum antequam causetur est possibile, et ens possibile vel in potentia, vel in effectu dividunt ens*, verum est, sicut *vivum* et *mortuum* dividunt hominem, ita quod in uno salvatur secundum *quid*; et in altero simpliciter, quia futurum ita distrahit respectu præsentis sicut præteritum, in hoc quod futurum est præsentatum solum secundum *quid*, sed possibilitas magis dimittit respectu præsentis, quam futurum, quia multa suntabilia, quæ nunquam evenient; ideo dico quod ens salvatur secundum *quid* in ente possibili, quod est in potentia ante actum ad existere. Nunc autem divisum prædicatur de divisibilibus, quando simpliciter salvatur in utroque.

15. Ad aliud, si intelligas quod ens tantum habeat *esse* verum et firmum extra animam, tunc *esse* in

anima est *esse* diminutum, et tunc dico, quod lapis ante creationem non habuit *esse* ratum in hoc sensu, quia non habet *esse* ratum, nisi quando habet existentiam, et tunc dico quod habet *esse* a Deo effective. Et cum dicitur quod tunc non habet *esse* quidditativum nisi quando est in effectu, concedo, quia sive *esse* quidditativum, sit idem quod *esse* in effectu, sive aliud, tamen simul sunt in hoc sensu. Et cum dicitur, igitur non habet definitionem, nisi quando est in effectu, dico quod non sequitur, quia definitio est rei, quando est distincta cognitio rei, unde non sequitur, habet definitionem, igitur est. Proinde sicut non est ens ratum, nisi quando est, sic non habet *esse*, quod exprimitur per definitionem, nisi quando est, et non sequitur quod definitio potest terminare quæstionem *an est*, quia potest habere *esse* definitivum, loquendo de *esse* definitivo, hoc est, distincte cognito, quando non est; non tamen tunc habet *esse* definitivum, quod exprimitur per definitionem.

Si accipitur *esse* ratum, dicendo istam rem *esse* ratam, cui non repugnat *esse*, dico quod sic non requirit aliquod *esse* extra Deum, quia homo ex se est ens ratum, et ex se formaliter non repugnat sibi *esse*, et ita hoc *esse* ex se est *esse*, et homo est homo ex natura terminorum, nec est alia causa formalis, quare homo est talis naturæ, cui non repugnat *esse*, et chimæra cui repugnat *esse*, nisi quia chimæra est chimæra, et homo est homo.

Sed unde habet homo quod sit talis natura, cui non repugnat *esse*? Dico, quod ab intellectu divino,

nutum est
in anima.

Definitio
on petit
existentiam
rei.

16. Unde
homo pos-
sibilis, et

chimæra
impossi-
bilis.

quia est tale intelligibile, et chimæra impossibile est, quia per hoc intelliguntur duo impossibilia; nulla enim simplex negatio est simplex impossibilis in natura, quia si sit, maxime esset *non Deus*. Sed illud salvatur in omni creatura; ideo solum intelligitur simpliciter impossibile in natura, quia habet duas partes formaliter repugnantes, sicut homo irrationalis; et reducitur ista impossibilitas, seu repugnantia ad Deum, quia est causa oppositi hujus repugnantiae. Dico igitur, quod formaliter ratum seipso est ratum formaliter, si per *ratum* intelligatur, cui non repugnat *esse*, et causaliter est a Deo. Sic, cui repugnat *esse*, formaliter a se est tale, et causaliter est tale a Deo; sed Deus potest esse causa rationis oppositi, ut dictum est in 1. lib. d. 3. q. de vestigio; neque potest esse aliquid, quin sit res rata isto modo, nisi sit res talis, quæ est impossibilis esse ratione formalis repugnantiae partium.

Ad tertium dico, quod *exemplari, intelligi, cognosci*, omnes sunt relationes distrahentes respectu tertii, hoc est, nunquam ponunt verum *esse*. Unde rem æternaliter esse et intelligi, non est ipsam esse nisi secundum *quid*.

17. Ad rationes primæ positionis, quomodo eadem res est intellecta prius, et postea in *esse* posita, patet in positione; et ad illam, quæ dicit quod relatio præsupponit illud, in quo fundatur.

Ad aliud de permutata proportionem, dico quod universaliter, quando est proportio inter contradictoria, et superioris ad inferius de forma, est fallacia consequentis,

quia in contradictoriis non tenet consequentia in seipsis; sed e contrario ex opposito consequentis, et arguendo e contrario a destructione antecedentis ad destructionem consequentis est fallacia consequentis. Nunc autem *possibile* est superius ad ens, ideo cum dicitur: Sicut ens ad non ens, sic possibile ad non possibile; igitur sicut ens ad possibile, sic non ens ad non possibile, non valet. Sed contra, quia ens se habet ad possibile, sicut inferius ad superius, igitur sic non possibile, vel impossibile ad non ens. Et concedo quod illud, quod nullo modo est possibile, nullo modo est ens, non tamen e converso.

Ad aliud, cum dicitur quod *unum nihil est magis alio nihil*, dico quod aliquando negatio inest alicui propter privationem *esse*, sed non propter repugnantiam illius secundum se, sicut superficies dicitur non alba, non quia informatur nigredine, nec quia repugnantiam habet ad nigredinem, sed solum sibi inest negatio albedinis propter privationem causæ ponentis ibi albedinem. Aliquando vero negatio inest alicui, non quia solum careat causa ponente effectum, sed ex repugnantia, et multipliciter; aliquando propter unam repugnantiam, aliquando propter multas, sicut negatio hominis inest asino propter repugnantiam ex parte differentiae, non propter repugnantiam in genere propinquo. Sed albedini inest negatio hominis, non solum propter repugnantiam in differentia specifica, sed propter omnia intermedia inter genus supremum et speciem atomam; non tamen propter hoc dicitur ista su-

Possibile
est superius
ad
ens.

18. Ad quartum. Negatio duplex.

De negationibus, vide Scotum 1. d. 8

perficies nigra non alba, quæ est actu nigra, quasi careret omni colore. Neque illa dicitur magis non homo quam asinus, quia quælibet negatio est æqualis quantum ad hoc, quod simpliciter removet habitum. Aliquando tamen ex pluribus causis removetur, aliquando ex paucioribus; sic dico, quod homo ante creationem solum est non ens, quia causa non dat sibi *esse*. Sed chimæra est non ens, quia sibi repugnat *esse*. Vel posset dici, quod illud dicatur magis nihil, a quo per plura negatur forma, hoc est, pluribus modis est non ens; tunc posset dici, quod illud nihil, quod pluribus modis est non ens, est magis non ens, hoc est, pluribus modis est non ens, quoniam quælibet negatio simpliciter, amovet totum habitum.

Idem manens idem semper natum est facere idem; igitur vel semper creat, vel nunquam creat.

Item, si aliquid creatur, igitur aliquid aliter se habet nunc quam prius. Sed passivum nunquam aliter se habet quam prius, nisi quia agens aliter se habet quam prius; igitur si aliquid creatur, Deus mutatur, quia ibi nihil est passivum, quod se habeat aliter quam prius.

Item, causa æque determinata ad effectum semper æque agit, quia si nunc agit, et aliquando non, igitur non est æque determinata tunc ad agendum, sicut nunc. Si igitur Deus causasset, tunc esset determinatus ad agendum, et prius indeterminatus.

Item, inconveniens est ponere primum agens simpliciter agere a fortuna et a casu; igitur agit per se propter finem; igitur si naturaliter agit, non magis nunc quam tunc. Si vero voluntarie agit, non videtur quare expectat magis unum tempus quam aliud, nisi quod sic magis congruit effectui, cum ipsum sit æqualiter potens pro quolibet *nunc*.

Oppositum Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum et terram*.

SCHOLIUM I.

Explicat de *nihilo fieri* sumi tripliciter, et in quæstione sensus est, an post nihil ordine naturæ, vel durationis præcedens, possit Deus aliquid facere? Explicat optime duplicem prioritatem naturæ, positivam ac privativam. Ponitur sententia Philosophi negantis creationem in tempore, quam refutat in Oxon. 1. dist. 8. quæst. ult. ubi num. 13. et dist. 39. et 43. Probat Deum ad extra omnia contingentem producere, et sic nihil ab æterno necessario produxisse; Philosophus autem ponit æterna omnia necessaria. Ostendit primo, contra Hen-

ricum (de quo late 1. dist. 8. quæst. 5. num. 6.) secundum Philosophum Intelligentias effective esse a Deo.

2. Ad quæstionem dico primo distinguendo de *creare*, quia *creare est de nihilo producere*, secundum Anselmum *Monolog. cap. 8.* et illud de potest intelligi tripliciter. Primo, sicut dicimus de tacente, quando de nihilo loquitur, quia omnino loquitur; sic de nihilo, quod omnino non fit. Secundo, de nihilo tanquam de materia, et tunc non negatur fieri omnino, sed est de nihilo tanquam de materia. Tertio, dicitur de nihilo fieri ordinabiliter, hoc est, post nihil, et de sic nihilo intelligitur quæstio. Et illud adhuc potest dupliciter intelligi, quia vel est hic ordo durationis, cum aliquid fit post nihil, sic quod post nihil duratione fiat aliquid; vel quod non fit nihil prius duratione, sed tantum natura. Et utroque istorum modorum est videndum si aliquid potest fieri de nihilo?

3. Primo, secundum quod intelligitur ordo naturæ, et hoc potest dupliciter intelligi: Vel ordo naturæ actualiter et positive; vel tantum in potentia, et circumscriptive, vel privative. Exemplum primi, sicut materia est prius forma, et causa effectui ordine naturæ actualiter et positive. Exemplum secundi, quando aliquid non habet aliquid nisi ab alio, ut materia non habet formam, nisi ab aliquo introducente, et tunc circumscripto isto introducente vel agente, manet sub negatione formæ, et tunc illius *non esse* est prius natura forma negative et privative, hoc est, remotione vel negatione formæ.

Loquendo de ordine naturæ primo modo, scilicet actu et positive, non potest aliquid fieri post nihil, sic, quod *non esse* actu et positive præcedat *esse*, sicut causa effectum naturaliter. Secundo modo est ordo naturæ inter *aliquid* et *nihil*, ita quod res, quæ non habet *esse* nisi ab alio per creationem, circumscripto illo alio, manet sub negatione *esse*; sicut aer, esto quod esset æternaliter illuminatus, adhuc prius natura esset tenebrosus quam luminosus, hoc est, circumscripto illo alio, a quo habet lumen, de se esset sub negatione luminis, non tamen de natura sua includit tenebram. Sic creatura prius non habet *esse*, hoc est, circumscripto dante *esse*, quantum est de se, sub *non esse*, et sic natura prius est *non esse* ejus quam *esse*, non tamen intra suam essentiam includit *non esse*, quia naturæ suæ non repugnat habere *esse* ab alio, nec repugnat sibi *non esse* circumscripto dante *esse* illo modo.

Loquendo igitur de creatione ut solum *non esse* præcedat *esse* natura, videndum est an Deus possit aliquid creare?

Et dicitur quod non, secundum intentionem Philosophi, quia ipse ponit quod primus effectus est motus cœli, et non sic, quod motus secundum se sit primus effectus, sed orbis motus, quia ut habetur 7. *Metaph.* solum compositum generatur, neque album solum, sed homo albus, tam in accidentibus quam in substantia; una pars igitur præsupponitur. Loquendo tamen de istis productis inferioribus, in omni productione præsupponitur materia,

Aer ab æterno lucicus, prius natura esset tenebrosus.

4. Opinio Henrici circa mentem Aristot. in creatione.

Aliter homo ante creationem est non ens, aliter chimæra.

19. Ad Augustinum cum dicit, *capacitas formæ non nullum bonum est*, ipse loquitur de materia, et ipsa est verum ens.

Ad sextam. Ad Avicennam, concedo quod fluxus rerum a Deo in quodam *esse* intelligibili, quod est *esse* secundum *quid*, sed in *esse* in effectui, quod est *esse* simpliciter. Hoc tamen non arguit, quod *esse* in intellectu sit *esse* simpliciter.

QUÆSTIO III.

Utrum Deus possit aliquid creare.

Alens. 2. part. quæst. 6. membr. 4. art. 1. D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 1. et 2. D. Bonavent. hic art. 1. quæst. 1. Richard. art. 1. quæst. 1. Occam quæst. 4. Henric. summ. art. 2. quæst. 23. Vasquez 1. part. quæst. 172. Scot. in Oxon. hic quæst. 2. Vide eum 5. *Metaph. quæst. 2. et lib. 7. quæst. 8.*

1. Quod non 2. de Gen. text. 56.

JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA

JUXTA EDITIONEM WADDINGI XII TOMOS CONTINENTEM A PATRIBUS FRANCISCANIS

DE OBSERVANTIA ACCURATE RECOGNITA

CE 3100.891-22

TOMUS VIGESIMUS SECUNDUS

REPORTATA PARISIENSIA

LIBER PRIMUS. Dist. I-XLVIII. — LIBER SECUNDUS. Dist. I-XI.



46
C 84
2502-22

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCIV